



**Quotidiana Christiani Militis Tessera**

**Stanyhurst, Guillaume**

**Coloniæ Agrippinæ, 1682**

10. Dies Januarii. Si non esses operator, Deus non esser cooperator.  
August. i. de lib. arbit.

---

---

**Nutzungsbedingungen**

[urn:nbn:de:hbz:466:1-55659](https://nbn-resolving.de/urn:nbn:de:hbz:466:1-55659)

Januar.

Tessera.

23

consortium naturæ divinæ, atque adeò in Supremo rerum fastigio , inter omnia sublunaria emines præ omnibus, demittis te ad vilia , & humilia, ad muscas in aëre, ad scarabæos in simeto, ad vermiculos in terra , ad talpas sub terra ? Quis te undique stupor invaderet, & totum raperet, si vermiculum despicibilem, è putidi canis olido cadavere assumi videres, & asserri ad naturam supremi Angeli , ut qui anteà re-pebat in tate vermiculus , jam esset in cælo Angelorum primus? Major est tua metamorphosis & altior dignitas, dum è peccato assurgis ad gratiam. Tunc enim superas naturam omnem , non tantùm creatam, sed quæ potest creari. Tota, cum toto suo bonorum apparatu natura, subdit se gratiæ: illique fasces submittit, omnis ejus pulcritudo, potentia, opulentia, sapientia, scientia. Attendite eruditi , & vos potissimum juris periti.

*Gratia fit pluris, quam tota scientia juris.*

## IO. DIES JANUARII.

Si non essem operator , Deus non esset cooperator. *August. l. de lib. arbit.*

Necesse I.  
est cum  
gratia co-  
operari.

**A**Dmodum nihil juvabit te habere juvantē , quâ omnia possis, gratiam, si tantum donum, quantum inter naturæ dona nullum nec est , nec esse potest præstabilius , ut piger ille in Evangelio, (a) vel reponas in sudario , vel fodis in terram ? Culpa non vacabis si gratia Dei in te fuerit vacua. Hic ergo totus tuus impendatur, &

B 4

inten-

(a) *Luc. 19. 20. Matt. 25. 16.*

intendatur labor, ut gratiam admissam conserves, conservatam augeas. Hæc una est honesta avaritia, velle semper crescere gratiâ. Hanc innocentem avaritiam docebit te homo noxiè avarus? Puderet te non facere pro auro, quod alii faciunt pro luto? Quidni te pudeat, non facere, qua salutem obtineas, pro gratia, quod avarus, qua salute excidat, pro pecunia? Quid potest minus exigi, quam, ut sis optimus, imiteris hominem pessimum? Quis magis displicet omnibus, quam qui vult habere omnia? Avarus, Nō major à te requiritur labor, ut placeas Deo, & Sanctis Dei omnibus. Itaque non plus à te possit cur pro magna Gratiâ, & cœli Gloriâ, quam quod ultrò inimicus Dei molitur pro vitio, & tartaro. Avari opum, cuivis sunt odio, sibi, suis, omnibus: quia nulli prosunt, immo nulli non officiunt: aut usurpando, aut impediendo, aut negando bona temporalia, sibi auferendo cœlestia. Contrà, avari rerum spiritualium, innocentes sunt, amori omnibus, accepti singulis, quia sedent sine alterius damno.

II. Observa hic discrimen inter Avaritiam pecuniae, & gratiæ. In bonis æternis avaritia est laudabilis, in caducis detestabilis. Gratia est, ut servetur: pecunia, ut erogetur: hæc enim non est bona nisi dispensetur bene. Gratia non prodest, nisi servetur: sic tamen ut ejus fructus communicatione non minuantur, sed potius augeantur. Quid igitur omittis facere cum fructu, & merito, quod alii cum damno & flagitio? In cœlestibus bonis nihil æstima parvum: hic enim omnia sunt maxima, quia æternitatis semina. Sicut oculum videntem parvas stellas, ratio corrigit, & docet singulas multò majores toti?

terræ

Januar.

Tessera.

29

terræ globo : sic opinionem tuam , dum judicas in  
Gratiæ seu usura, seu jactura, aliquid esse parvum cor-  
rige, & existima minutissimæ occasiōnem accumu-  
landæ Gratiæ, pluris æstimandam, quām universi im-  
perium. Nec otiosum sīnas nobilissimum lucri spiri-  
tualis instrumentum , voluntatis desiderium : cupias  
fecisse, quod nequis facere. Votis locupletissim⁹ fies.

III. Hinc cūm vides, audis, legis opus virtutis ha-  
roicum, optes illud fecisse, & coram Deo Heros es.  
Qui approbat peccatum , perinde est ac si peccat set.  
Nam testimonio Salviani : (a) *Cum ab homine mala  
res, sola necessitate non agitur, ipsa rei turpis cupiditas pro  
actione damnatur.* Si ergo nocuit, qui nocere tantum  
voluit, ita benē fecisse censebitur, qui benefacere di-  
sposuit. Facilius enim est Deus ut remuneretur, quām  
puniat. Avarus nihil relinquit quod non desideret,  
cūm tamen desideria illi non serviant, nisi ad majus  
tormentum : quid ageret si simul , ac concupisceret  
res, possideret? Hæc felicitas , & felicitas fœnoris est  
in avariciâ religiosa, & spirituali. Vota non erunt ei  
supplicium, sed ad gaudium, ob emergens inde meri-  
tum. Quām facile est lucrū, solius voti quæstu! Con-  
sidera ubere censum desiderii , & quam sis locuples,  
etiam in extremâ penuriâ, solâ voluntate: nec vacare  
sīnas usuram tam quæstuosam rei tantæ. Sic labore  
nullo, tempore vix ullo, ditior evades meritis, quām  
Cræsus divitiis. Hoc discrimine, quod, qui avari sunt  
sine criminâ, fruuntur dum laborant, quiete, quia ac-  
quisitis acquiescunt : malè avaris nunquam est satie-  
tas, quia nunquam satis. Verè enim cecinit ille :

*Non est in mundo dives, qui dicit, abundo.*

B 5

II.DIES

(a) *De Gub. l.6.*